

ludens: non enim, cum de regno Salomonis, & cæterorum Regum ei succedentium, agitur, separandi à Christo ipsi sunt, neque Christus ab ipsis; per Christum illi gubernabant, & Christus per illos. Verissimè itaque Incarnata Sapiencia apud Salomonem ipsum satis hac de re edoctum, Proverb. 8. 15. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Hebraicè, in me Reges regnabunt, &c. Ubi Saloni- nus Vjennensis in mystica expositione: Per me Reges regnant, aut Christus Dei virtus, & Dei sapientia.

Prov. 8. 15.

Salon.

Universi Hebraeorum Reges præ- via Christi imagines, in quibus ipse regnabat.

Ruper.

Carthuf.

1392 Hinc dixeris, universos Hebraici populi Reges, quotquot illi fuere, imagines quasdam fuisse summi Regis nostri Jesu; quas si bono in lumine colloces, regnantem in singulis Dominum Regem nostrum faciliè animadvertas. Audi Rupertum illas Regis Jesu imagines regias bono in lumine collocantem lib. 1. in 1. Regum, capite suo 1. Post ampla virentis, ac florentissime ætatis tertie spectacula, quarta tandem Mundi splendida nos excipit ætas. Ejus pulchritudo lucida, mentis nostræ oculos quasi à terra in cælum levat, ut post actualia legis instituta, Regum facta fortia & cælestia contempleremur. Nam pulchra quidem terræ planaria, quæ tertio die plantata, vel produci iussa sunt; sed pulchriora cæli luminaria, quæ quarto die facta, veb in firmamento posita sunt. Sic nimirum pulchra quidem, & bona sanctæ legis opera, quæ tertia mundi ætate in figuram futurorum præcepta sunt, sed pulchriora Regum coronatorum facta, quæ in typum regni Dei, in testimonium magni, ac veri Regis Christi re splenduerunt. Acutè satis quartam mundi ætatem Reges Hebræorum amplectentem cum quarto creationis die componit, in quo omnia cæli luminaria, prælustres mundi faces, condita sunt, ut omnia illuminarent, alternante fulgore, omniaque regerent inferiora. Ad hanc lucem regias Regum Hebræorum imagines contemplatus, Christum Regem Regum quasi ad vivum expressum, in illis, & per illos gubernantem sapiens, ac pius Abbas sapienter, ac piè agnoscit. Puso à buena luz la imagen, y reconozca en ella à Christo. Ruperto adjuuge Doctores alios similiter sentientes, relatoque à nostro Mendoza Tom. 1. in libros Regum Annotat. 3. proœmiali, Sect. 3. Carthusianum signatum, qui in Proœmio ad lib. Reg. rectè arbitrat, eos libros non tam agere de Regibus Israel, quam de Deo Salvatore, per Reges Israel populum Israeliticum gubernante. Sic incarnata Sapiencia præludebat futurum in orthodoxa sua Ecclesia regnum, & gubernandi gloriam in perpetuum duraturam.

TEXTUS ILLUSTRATIO

De Maria Deipara.

SECTIO XII.

Qua ratione Beata Virgo, & in Mosaico Tabernaculo, & in Templo Salomonico coram Deo ministraverit, & regnaverit; & nunc in Ecclesia Christiana ministret, & regnet.

1393 Ab æterno Virginem Matrem ordinatam; ab initio, & ante sæcula creatam

fuisse, ipsamet Prov. 8. 23. & Eccl. 24. 14. restatur luculenter. Neque aliud sibi voluisse putandum est, quam in decretis, ac præfinitionibus divinis ante omnes alios præmissam, præfinitam, & præconciliatam esse: quæ est & Patrum, & Theologorum usitata loquendi, & explicandi formula; de qua noster Salazarius eruditè ex suo more multa, ad id Prov. caput, & de Conceptione c. 2. & 3. Subdit deinde Virgo ipsa eodem capite v. 30. loquens de prima rerum omnium conditione, & futurarum dispositione: Cum eo eram cuncta componens, LXX. vertunt: Eram penes ipsum disponens, aut dispensans ad instar œconomi. Hebraicè est aman à radice aman, quod significat educare, & nutrire, vel disponere œconomi instar: unde vox amen, œconomus, curator, dispensator, ad quem spectant ea, quæ ad victum & vestitum familiæ Domini sui necessaria sunt, dispensare, distribuere: quò referas eam aliorum translationem: Ego eram in latere ejus quasi nutritia. Quasi Deus, exinceps Virgini Matri, tanquam nutritici alicui, curatori, familiæ œconomo, ac fideli servo res omnes alendas, curandas, dispensandas, disponendas commiserit. Consonat Psalmus Pf. 44. 10. canens Deiparæ magnalia: Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Astitit, dixit de præterito, ut significet, jam vide, & multis retro sæculis, prope Deum in latere vel ad latus Dei, proximè apud illum astitisse; certè paratissimam ad ministrandum, ut demonstrat verbum astitit, pro quo LXX. Græco παρῆναι, usi sunt, & propriè redditur astitit ad ministrandum paratissima. Quod Rufinus Presbyter pervidit scribens: Astitit parata servire. Hanc verbi παρῆναι significationem multis possumus exemplis comprobare. Mitto humaniora, quæ vide apud Budæum in Comment. linguæ Græcæ, sacra designo, in quibus pro Davidico verbo iasab, Græcum παρῆναι, legitur. Job 1. 6. Proverb. 22. 29. Zachar. 6. 5. Genes. 40. 4. Deut. 18. 5. & c. 21. 5. & 3. Reg. 10. 8. & Dan. 7. 10. & significat assistere tanquam ministrum paratum ad obediendum, vel ministrare. Astitisse igitur vel ab initio sæculorum à dextris Christi Deiparam Mariam, nimirum nobilem ancillam Domini, ad ministrandum paratissimam, Psaltes meritò canit. Ut subinde deducas, quo jure ipsa de se dicat: Ab initio & ante secula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam; & in habitatione sancta coram ipso ministravi. Porro ostendit, se & in Tabernaculo Moysis, Temploque Salomonis, & in Ecclesia Christiana ministrasse; quatenus videlicet Deus per illam, & propter illam, in Christi Genitricem ab æterno electam, & ex illo Hebræorum populo nascituram, omnia disponebat, dispensabat, ordinabat.

1394 Hinc spectasse reor illa ejusdem Salomonis verba Prov. 31. 10. Mulierem fortem quis inveniet? Procul, & de ultimis finibus & Ecclesia curam, educationem, & administrationem suscipiat. Vox enim chel, sive chail, exercitum significat, fortitudinem, robur, virtutem, substantias, divitias, opes. Unde veritas: Mulierem opum, divitiarum, exercitus, fortitudinis, roboris; vel etiam, ut alii vertunt, industriam, quis inveniat? Eadem vox Chail, significat etiam agrum, ut patet

Prov. 8. 30.

Vel à Mundâ initio, Maria commissæ res omnes alenda, curanda, disponenda, nutritici, curatoris, œconomi, fideli servo.

Pf. 44. 10.

Paratissima semper ad ministrandum usi Regina.

361

patet ex 3. Reg. 21. 23. Mulierem agri quærit, quæ nimirum familiæ curandæ, & excolendæ tanquam agro alicui se viriliter mancipet. Et forsitan hac de causâ subtextitur v. 16. Consideravit agrum, & emit eum: & de fructu manuum suarum plantavit vineam. Ast, quæ hæc Mulier? Quanam industria hujus Mulieris familia? Quis coemptus ager, cujus tanta Mulieri cura? Obvia est apud Patres interpretatio, qui sollicitam hanc Mulierem Deiparam esse volunt, & quasi à summo cælo descendentem. Ipsius familiam, tum Hebræorum populum, tum etiam Ecclesiam Christianam ex Hebræis & Gentibus coalescentem, esse putaverim. Utriusque Ecclesiæ curam, educationem, & administrationem sollicita & industria Virgo suscepit. Utrumque populum tam Hebraicum, quam Gentilitium agrum appellat; quem ipsa consideravit ex negligentia incultum, & sterilem. Quapropter nihil ei antiquius fuit, quam agrum illum coëmere, & propriis manuum suarum operibus, meritis nempe à Deo prædefinitis & provisus, feracillimam in eo vineam plantare, & excolere usque ad incredibilem fructuum ubertatem. Quid certius, quam & Synagogam, & Catholicam Ecclesiam vineam nominari? Itai. 5. 1. Pf. 79. 9. Matt. 21. 33. Nonne per Mariam Deiparam Israelitica gens ex Ægypto educta, & in terram promissam deducta & plantata, ut peculiaris Dei populus? Jam id supra ostendimus. Nonne per Virginem toto terrarum orbis fundata sunt Ecclesiæ? ut S. Cyrillus Alexand. aiebat tom. 6. Concilii Ephesini c. 6. Ecce quomodo Dei Mater & in Synagoga, & in Ecclesia assiduum studium, & perpetuum impenderit ministerium pro plantanda, pro excolenda vinea.

S. Cyrill. Alex.

Cant. 1. 6.

Ruper.

Custas utriusque vineæ fuerunt, inquam, id est, ut ego ponerer, effecerunt (Judæi) per incredulitatem suam. Non enim ego prior illos, sed ipsi priores me repulerunt, & custodia mea sese indignos judicaverunt. Igitur iusto judicio tales matris meæ filios reliqui, & vineam meam non custodivi, gentem meam non adjuvi, non defendi, quin venirent, locumque, & gentem tollerent Romani. Pro una vinea, quæ debuit esse mea, utpote gens mea, sanguis meus, & caro mea, multas vineas acquisivi, multas Ecclesias in gentibus dilatavi, quæ omnes custodiam meam habent, & habere desiderant, de meritis meis præsumentes, de intercessionibus meis confidentes, & pro hujusmodi custodia clamantes ad me jugiter. Quid luculentius? Vineam suam appellat Deipara Israelidem gentem, veterem Synagogam, cujus ipsi à Deo demandata cura est, pro qua plantanda, & excolenda, indefessum posuit laborem, & sedulum ministerium. Eâ derelictâ vineâ ob impenitens ejus cor, & summam perfidiam, indulgentissima Virgo in Gentilissimi agris incultis, & sterilibus vineas plantavit, & excoluit, & adhuc perpetuò plantat, & excolit studio, tanquam sedulus agricola & vinearum vigilantissimus custos. Verè itaque Maria Mulier strenua, sollicita, industria; verè agri Mulier.

1396 Michæas 6. 4. inter maxima beneficia, P. Ildeph. de Flores in Eccles.

quæ Deus olim in Israeliticum populum largè contulerat, connumerat quòd duces ei præposuerit in difficili per desertum via non tantum Moysen, & Aaronem, sed & illorum sororem Mariam. Eduxi te de terra Ægypti, & de domo servientium liberavi te: & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam. Cæterum, quod tantum beneficium fuit (ad dubitant expositores) datam esse cum fratribus Mariam, de qua nihil grande in tractu illo difficili audimus, quam fuisse tympantem, cum in mari rubro demersus est Pharaos, & præfuisse in puellari choro cæteras psaltrias, cecinisseque illud Exo. 15. Cantemus Domino, &c. Convenit inter expositores tam Hebræos, quam nostros, à Maria in toto illo progressu populum quotidianis oppugnatum incommodis varia habuisse & laboris levamenta, & vitæ subsidia: nam ab illa docebantur, præsertim fæminæ, quibus præerat, uti Moyses viris. idèo Prophetissa appellatur Exo. 15. 20. id est, divino afflata spiritu ad rerum cogitationem, & administrationem. Et Hebræi putant, datam aquam jugiter manantem de petra, & quocumque pergerent consequentem Hebræorum castra propter Mariam, quia quo tempore decessit Maria, aquam repente defecisse arbitrantur.

Michæ 6. 4. Duces populi Hebraici Moyses, & Aaron, & Maria eius soror, ibi ministrans.

Maria illa Deipara typus ipsi ministrans.

1397 Certè, sicut Moyses & Aaron expressi fuerunt Christi indices, & typi, ut Patres communiter observant; ita & eorum soror Maria gradienti per desertum populo ministrans, Matrem Virginem Mariam adumbravit. Hæc porrò Maria Deipara jam tunc in altera illa typicè ministrabat, præibat, ducebat, docebat. Docuit hoc S. Hieron. qui premens relata Michæas verba, à Deo Mariam Christi Genitricem missam fuisse, scribit: Et misit Mariam S. Chrysol. vaticinium Prophetarum. Sed & Chrysologus præclare ser. 146. Maria Mater vocatur, & quando non Maria Mater? Congregationes aquarum appellavit maria. Nonne hæc exeuntem populum de Ægypto concepit uno utero, ut emergeret cælestis in novam creaturam renata progenies? Et ut semper Maria humana prævia sit salutis, populum quem unda genitrix emisit in lucem; ipsa jure præcessit in Cantico. Quid præclarius? Rursus, petram illam scienti populo aquam jugiter ministrantem, & Hebræos consequentem, Deiparam Mariam fuisse, arbitrat B. Andreas Ordinis Eremit. in opere manuscripto de excellenti Virginis dignitate, relatus à Novarino lib. 4. sacrorum Electorum nu. 88. Tu Petra, quæ sudit aquas in solitudine. Quod etiam videtur sentire Guarricus Abbas ser. 2. de Annunc. Si ergo Petra Christus, ut ait Apostolus (de Petra illa miraculosa loquens) non degenerat à Matre filius, quando & ipsa Petra nomine censetur. Nec solum copiosus atque uberes latices sitientibus, sed esurientibus exquisitas epulas ministrabat deservientes uniuscujusque voluntati, cujusmodi Manna extitit: hæc enim appellatione Deiparam honorant S. Maximus Hom. in Ramis Palmarum, & S. Ambros. Serm. 3. in Pf. 21. paulò post initium. Potius (inquit Ambrosius) ipsam Mariam Manna dixerim, quia est subtilis, & splendida, suavivis, & virgo, quæ velut calvus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorum melle defluxit. Columna item nubes & ignis peregrinantibus Hebræis Maria extitit, umbram & lucis copiam illis subministrans, de quo latè diximus supra ad illud, & thronus meus in columna ignis, & ad sedulum ministerium, quod in ortho-

Petra scienti populo aquam ministrans, Maria typus B. Andree.

Guarricus

Manna Hebraicè datur Deipara figura. S. Ambro.

Columna etiam.

H h

rhodo-

Variè Deipara in Templo Ierosolymitano misano ministrabat.

thodoxa Ecclesia obit, retulimus.

S. Epiphanius. De ministerio Virginis in Ecclesia Christiana.

1398 Si de ministerio Deiparæ in Templo Ierosolymitano signatim loquamur, præterquam quod ibi, ab ejus prima dedicatione, typicè ministravit variis in symbolis illam portendentibus, ut Arca, Mensa, Candelabro, & similibus aliis; re quidem verâ, multiplex ibidem ministerium obivit, cum in Templo fuit Domino præsentata, seque ipsam consecravit sub annorum inchoamento trimula, ubi usque ad annum ætatis suæ decimum quartum permansit, perpetuis intenta orationibus, contemplationibus, piis lectionibus, & jejuniis; nec non lanæ, lino, serico, & bysso apparandis, cæterisque consuendis, quæ ad Templi, & sacerdotum cultum & ministerium necessaria erant; ut multi ex Patribus profitentur, videndi apud nostros Canisium in Mariali l. i. c. 12. & 13. & Castrum in Histo. Deiparæ c. 3. Unius Epiphanius Presbyteri Constant. verba accipe in vita Virginis. Erat docilis & amans doctrinam, & non solum in sacris litteris, sed etiam in lana & lino, serico & bysso laborabat. Quæ & verè consuevit ea, quorum usus in templo erat Sacerdotibus.

De ministerio Virginis in Ecclesia Christiana.

1399 De ministerio Virginis in Ecclesia, multa hinc congerere possemus. Ministrat nobis in primis carnem & sanguinem, Filii sui in almo Eucharistiæ mysterio; de quo plura diximus, supra num. 767. Deinde opulentissimos gratiæ thesauros ministrat. Ut enim Guilielmus Abbas Can. 6. 7. Non tantum ad participationem, ut ceteri, sed etiam ad singulare quoddam ministerium ejusdem gratiæ est specialiter electa. Et eam S. Bonaventura, ut gloriæ administrat, vocavit celestis curiæ pincernam. De quo superius 2. p.

Guillel. Abbas.

1400 De Regia verò Deiparæ potestate in populo Hebræorum, & nunc in orthodoxa Ecclesia, augustius promicante, nonnihil dixerim. Ab æterno ordinata sum, prædicat de se Virgo Mater Prov. 8. 23. Nota est ex Hebræo translatio: à seculo principatum habui: & Rodolphi; coronata sum: & Merceri: regno initiata sum, sive Princeps inaugurata sum: certè uti hominum, & Angelorum Regina, ut quæ futura Dei Genitrix. Quod cum Angelis respectum esset ab initio suæ conditionis, boni, qui se Christo tanquam Regi subdiderunt, subdiderunt se pariter Matri Deiparæ tanquam Reginæ, malis contra Filium, & Matrem rebellantibus. In hujus porrò Dominici, & Mariani regni symbolum, quarta nascentis mundi die fabricata à Deo sunt duo luminaria magna, Sol nempe & Luna; Luminare majus, ut præset diei, & luminare minus, ut præset nocti. Genes. 1. 16. vel ut Ps. 135. 7. dicitur, Solem in potestatem diei, Lunam in potestatem noctis. 1401. Sol Regis vocabulo & folio nitens Christum, Luna verò Reginæ elogio decorata Mariam apprimè portendunt, ut SS. Ecclesiæ Patres, & expositores frequenter statuunt, & ex sacris litteris illustrant nosque in superioribus satis observatum habemus. Cum hæc ita sint, & Israelitica Gens in Deiparæ populum præcipuum, acceptabilem, & opulentum, olim fuerit à Deo sequestrata, & electa (ut latè observavimus supra) certè exinceps non solum Christus Dominus, sed etiam ejus Mater Virgo regalibus sublimioris benevolentia, & beneficentiæ titulis, & foliis fruebatur, ut qui ex eo populo essent nascituri.

Gen. 1. 16. Ps. 135.

1402 Præter ea, quæ eo loci adduximus in

Deiparæ gratiam, hinc spectant quæ diximus ad illud, Et thronus meus in columna ignis: hic quippe thronus Deiparæ erat regius, è quo typicè jam Hebræorum populum gradientem per desertum ipsa gubernabat, tanquam prælecta illius Regina. Sed signatim pro Siracidis nostri verbis: Et sic in Sion firmata sum, & in Jerusalem regalis majestas mea; hinc iterum vocanda illa sacræ Arce traductio ex domo Obededonis ad Sionis arcem, & ipsam Davidis regiam; qui divino afflatus spiritu vix dum totius populi consensu Rex constitutus id quidem maturè, ac religiosè peregit 2. Reg. 6. Porro Arcam testamenti, Maria nuncupant plerique Patres, quos videlis apud nostrum Mendozam t. 2. in l. reg. c. 4. v. 11. ann. 11. sect. 2. initio.

In Arca testamenti Maria Regina præfigurata.

1403 Arca verò ipsa regalem Deiparæ majestatem designans regio decorabatur diademate Exo. 25. 11. Faciesque supra coronam auream per circuitum. Cum igitur David Rex de sacra Arca in augustum sacellum vel in ipsa, vel ad ipsam regiam Aulam extructum inferenda & cogitare serid, & maturè agere occcepit, proneptim suam Mariam animo volebat Prophe-tico, sacrationemque tantæ Reginæ adventum, quæ inde regio ex genere Davidis concepta, in eandem aliquando Davidicam domum, & familiam per mundissimam conceptionem, & generationem erat ingressura.

Exo. 25. 11.

1404 In hanc igitur cogitationem Rex ipse prudentissimus tum omnem invehendæ Arce religiosum contulit apparatus; tum divina etiam providentia, si quæ pars humanam fugisset ministrorum industriam, supplemendam, & corrigendam susceperit; ne scilicet vel levissimus error in tantæ Reginæ, Marianæque Conceptionis umbram obreperet. De quo latè diximus supra, à n. 438.

1405 Tu videlis, ut hæc augustè illustres, & probè teneas quo apparatu, qua religione, quo mysterio Rex David Arcam illam regio decoratam diademate ex domo Obededoni, in regium suum palatium intulerit. Prænovit divinitus quidem longè augustiorem Dei Arcam, Mariam proneptim suam, Angelorum, hominumque Reginam in eandem Davidicam domum per mundissimam conceptionem esse ingressuram, & in Ecclesiam perpetuò regnaturam; agnoscebat illam jam tunc in sacra illa Arca quasi regali in imagine regnantem, ab æterno in caeli, terræque Reginam singulari electione à Numine præfinitam; nec non & ab ipso conceptionis exordio Mariam Reginæ titulo & honore potituram esse, ab ignobili peccati servitute semper, & omnino immunem, ut ipse aliquando cecinit Ps. 44. Astuit Regina à dextris tuis, &c. & nos à n. 677. fuse explicuimus. Quid mirum si in publica illa sacræ Arce deductione, & collocatione adeò esset intentus Marianæ Conceptionis immunitati, & regni Mariæ potestati & imperio celebrandis, ageretque de augustiore construendo palatio tantæ Reginæ, à quo ipsa populum illum feliciter gubernaret, Ecclesiam quando que orthodoxam æternam gubernatura.

1406 Construxit tandem Salomon, perfectique magnificentissimum Templum; in illud invexit testamenti Arcam ingenti apparatu, ac religiosâ pompâ, ut religiosè ibi coleretur; prænosens certè, eodem, quo Pater ejus David, spiritu afflatus, Virginem Deiparam caeli terræque Reginam Arcâ illâ typicè præsignatam. Quò revoce quæ in re simili de Christo

Christo diximus supra. De Regia autem Deiparæ potestate in Ecclesia Christi jam non pauca diximus, & multa obvia extant apud Mariæ Panegyristas. Vide quæ supra à num. 448. edisserimus de Regia Domus saltus Libani structa à Rege Salomone in gratiam Deiparæ proneptis suæ.

Moralis Illustratio:

SECTIO XIII.

Benè tibi subdentur, & inservient omnes, si scias benè jugum subire aliis parendi, & inserviendi.

Non prius dicitur Christus regnare quam inservire.

1407 Non prius evulgat Incarnata Sapientia, se à Patre constitutam esse & Synagogæ, & Ecclesiæ orthodoxæ principem, cui omnes subdantur, & inserviant: Et in Jerusalem potestas mea, seu regalis majestas mea; quam ut ipsa sciverit aliis parère, & inservire: Et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Arcana hæc extat Superioribus eruditio; qui, ut benè illis subdantur, & inserviant subditi, scire debent aliis parère, & inservire. Communis ita etiam vera est sapientum vox: neminem imperare nosse, nisi qui & parere prius probè noverit. Sapienter Plato in Critia scripsit: Magistratus ei dandus est, qui legibus maxime parebit, & hac re ceteris in civitate prænotabit: hinc enim salus est civitati, & contrarium ex contrario. Neque minus profecto scitè Aristoteles 3. Politicorum, Eum, qui benè sit administraturus imperium, aut imperium ferre prius oportere. Utrique prudens Seneca suffragatur l. 2. de Ira cap. 15. Nemo regere potest, nisi qui & regi. Ad stipulatur Solon ille legillator apud Laertium in Solone; Principem agere noli, nisi edoctus subeas. Et rursus; Si Principes secundum leges vixerint, unaqueque Civitas optime regi poterit. Sed enim verò ex Bibliorum adytis thesim illustremus.

Plato.

Imperium prius portet qui illud administraturus est.

Seneca.

Solon.

Genes. 1. 3.

1408 Genes. 1. 3. primogenita lux mundo accensa fuit, die nascentis mundi primâ: Dixitque Deus: Fiat lux; & facta est lux. Die verò creationis quartâ, Sol & Luna constanter, in firmamento, superflve expansionibus collocantur, prælustribusque Regis, & Reginæ titulis, & foliis condecorantur: Fecitque duo luminaria magna: luminare majus, ut præset diei; & luminare minus, ut præset nocti. Hebræicè: ad dominandum, seu, ut dominentur. Sanctus Augustinus; In principatum diei, & in principatum noctis. S. Chrystost. In præfecturas diei, & in præfecturas noctis. Multorum Patrum existimatio est, primam illam lucem primo accensam die, inditam omnino esse die quarto hæc luminaribus caeli, Soli & Lunæ, tanquam hisculis, seu lampadibus. Nisi tibi ardeat magis altera S. Thomæ opinio, in scholis communior, afferentis illam primogenitam lucem fuisse quidem ipsum Solem adhuc informem, & imperfectum. Hinc quæstunculam excitaverim haud importunam. Ecce Sol & Luna die illa quarta ad principatum, seu præfecturas diei, & noctis condita dicuntur? Cur non prius, à prima nempe die, in qua lux ea ipsa, qua postea illuxerunt, formata est, vel Sol ipse conditus, etsi informis adhuc, & imperfectus? Nonne vel à primo eo die lux illa Solis informiter diffundebatur, illudque col-

Cur Soli, & Luna non datur præfectura usque ad diem quartum?

1409 Huc refero solemnem apud Israelitas inaugurandi Regis ritum, à Deo etiam præscriptum Deut. 17. 18. Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium vna lex legis hujus in volumine, accipiens exemplar, ut ei se subiaceret, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vite suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & cetera.

P. Hæph. de Flores in Eccles.

lustrare cepit ad eum morem, quo postea erat illustraturus; distinguens sic tres primos dies ex vespere, & manè constitutos? Quare lux illa Solis, vel Sol ipse illuminans, extunc prælustris Regis vocabulo non donatur? Certè arcanè voluit Deus honorarium illum præfecturæ, seu principatus titulum, ad quartum diem differre; ne prius præse & dominari alius Sol diceretur, quam sciret jugum subire parendi, & inserviendi. Sciat antea terras undique ambire & illustrare Lei juti; sciat benè aliis par re, & inservire; sciat cælestes influxus ministrare, ut postmodum benè sciat principandi potestate frui. Et fortasse hac de causa Solis præfecturam quarta die illi concessam approbavit Deus, uti & primam ejus lucem: Et vidit Deus quòd esset bonum. Genes. 1. 18. Ut enim argutè Ambrosius lib. 4. Hexa. cap. 1. Bonus quidem Sol, sed ministerio, non imperio. Ac propere a Sol vocatus Hebræicè Semes, à verbo Chaldaico (ut nonnulli putant) samis, quod ministrare significat: est enim Dei, & naturæ minister, quasi facem præferens: Page de acha. Sic nomini inscripta strando di præ se fert & obsequium, quod aliis præstat, & imperii præfecturam in alios. O pulchra argumenti nostri illustratio, & imperantium disciplina!

1409 Genes. 1. 26. formantur à Deo Adamus, & Eva, totius humani generis Principes, pleneque donantur in omnes animantes dominio: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; & præstet piscibus maris, & volatilibus caeli, & bestiis, universaque terræ. Quod non solum ad Adamum, sed ad Evam quoque pertinet; uti Hebræicè ostenditur, ut præstet, & v. 28. ad utrumque dicitur: Dominamini, Hebræicè, imperate, descendite. Certè & imperio decorantur, & de descensu, seu obsequio simul admonentur. Quid hoc, quæso? Aperit sacer ipse textus Genes. 2. 16. Nam vixdum creati illi sunt & paradisi delitiis fruebantur, cum ecce Deus primordiale legem & præceptum utrique imponit, & obsequium exigit. Præcepit ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientia boni, & mali ne comedas. LXX. vertunt in plurali: comedite; & ne comedatis. Jam ergo, quid est, quod tantoperè festinet Deus, primis Parentibus orbis Monarchis recens constitutis præceptum imponere, & obedientiam extorquere? Quid obsequium cum imperaturis? Quid lex cum Principibus? Porro id unum exigebat Deus, ut Adamus, & Eva benè imperaturi Principes, scirent etiam benè obtemperare; ut subderentur Creatori suo, ut illis creata omnia subderentur. Nam ille quidem benè imperat, qui benè scit obedire. Ut enim moralissimè ad rem præsentem S. Gregor. Magnus lib. 1. Reg. 1. cap. 1. Recte conversationis est, ut præse non audeat, qui subesse non didicerit; nec obedientiam subiectis imperet, quam prælati non novit exhibere. Sic ad imperi fastigium per obsequii descensum securè pervenitur; Imperate, descendite.

1410 Huc refero solemnem apud Israelitas inaugurandi Regis ritum, à Deo etiam præscriptum Deut. 17. 18. Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium vna lex legis hujus in volumine, accipiens exemplar, ut ei se subiaceret, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vite suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & cetera.

H h 2